

3. Et quatenus negative, Orator Indultum efflagitat, ut ibi in Dominicis saltem, Festisque de praecepto Sacrosanctum Missae Sacrificium celebretur, cui adstantes tam Magistri, quam discipuli satisfacere valeant praecepto adstandi Sacro?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Ad 1. et 2. „Affirmative.“

Ad 3. „Jam provisum in praecedentibus.“

Atque ita rescripsit. n. 5200. die 8. Aprilis 1854.

b) Ordinatio.

Vd. *Ordinatio* (Ecclesia; missa).

3) Publica.

Vd. *Titularis Capellae* (decr. n. 5215).

4) Superposito cubiculo.

ARBOREN.

Seminarii Arboren. Sacellum ita fuit ab initio aedificatum, ut superius haberet Cubiculum, in quo interna dispositio Seminarii ipsius in praesentiarum exigeret, ut aliquis de noctu etiam moraretur. Ast quum hodiernus Archiepiscopus probe noscat id ab Ecclesiasticis Sanctionibus omnino prohiberi; hinc S. R. C. supplex adivit Apostolicum exquirens Indultum. Emi. itaque ac Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita fideli relatione ab infra-scripto Secretario facta, rescribendum censuerunt: „Detur Decretum in Lucien. diei 26. Apr. 1834. nimirum: petitum elargiti sunt Indultum, hac tamen adjecta lege, ut super Altare Baldachinum apponatur, et removeatur, si fieri potest, Custodia SSmi. Sacramenti, quatenus ibi asservetur.“ n. 4770. die 12. Mart. 1836.

Non licet habitare die noctuque et etiam dormire in domibus aedificatis super

capellis, in quibus quotidie celebratur. S. R. C. 11. Maii 1641.

Vd. *Seminarium. Capella.*

CAPELLANI.

1) Absentia.

Vd. *Parochus* (absentia).

2) Assistentes Matrimon.

Vd. *Matrimon.*

3) In choro.

Vd. *Chorus; Officium.*

4) Confraternitatum.

Vd. *Capella domest.; Oratorium; Confraternit. Parochus* (celebr. et irig. in sua parochia); *Sepultura; Stola in processionibus; stola in funeribus; Processio funebr.* (praeced.).

Ad quaest.: Utrum parochus seu moderator Confraternitatis cujusdam, sive legitime impeditus sive non, possit licite et valide sibi vicarium vel alium presbyterum quemcunque approb. subrogare ad recipiendos fideles confraternitati adscribendos? S. C. Ind. resp.: *Negative*, nisi in concessione facta ab habente auctoritatem delegandi expresso cautum sit, ut vicarius sive alius presbyter subrogari possit. Die 22. Aug. 1842.

5) Episcopi.

Vd. *Episcopus reg.* (Officium).

Capellani Episcopi, qui cum eo recitant Officium, debent se illi conformare. S. R. C. 11. Junii 1605.

6) Monialium.

Missae in Eccles. aliena (decr. n. 3588; 5195; 4154) *Missale* (quod?); *Officium* (obligat. ad quod?)

CAPUCEUM.

Episcopo Aquipendentis facultatem S. C. concessit cogendi etiam sub censuris et poenis, Regulares in pro-

cessionibus ad deferendum Capuceum et non pileum. n. 2288 die 30. Aug. 1664.

CAPUCCINI (Cru x).

Fratres Capuccinos juxta Constitutionem Gregorii XIII. „*Exposcit Pastoralis*“ in publicis processionibus crucem erigere et deferre posse. n. 556 die 21. Maii 1618.

Capuccinos cedere debere digniorem locum iis Regularibus, qui sub propria cruce et in proprio loco in processionibus incedebant, antequam ipsi crucem propriam deferrent. n. 570 die 23. Mart. 1619.

Erectionem crucis Capuccinis fuisse concessam in iis tantum locis, in quibus sub cruce Minorum Conventual. incedebant, quia alias id fortasse nunquam permisisset, ac propterea eosdem Capuccinos in locis, in quibus sub cruce Cleri in processionibus ante hujusmodi concessionem incedebant, eundem locum retinere debere. n. 600 die 10. Julii 1621.

Vd. *Processio* (crux Regular.).

CAPUT.

1) Quando detegendum coram SSmo.?

Vd. *Biretum* (coram exp. SSmo.).

2) Quando cooperit Clerus?

Vd. *SS. Sacramentum; Reliquiae; Processio; Pileolum; Parruca; Biretum; Tertia* (quomodo se gerant Can.); *Instructio Clem.* §. XXXII. 7 etc.

Celebrans in missa sol., quando sedere debet, dum cantatur *Gloria* et *Credo* nudo capite se inclinare debet ad verba consueta, item procedere ad sedem et regredi ad altare aperto capite. n. 2776 ad 1 die 21. Mart. 1676.

3) Quando cooperiunt Laici?

Cf. *Reliquiae; Pileum Laicor.; Vexillifer. Magistratus missis sol. aliisque ec-*

clesiasticis functionibus adstans non potest caput tegere et detegere prout facit Clerus, qui interest. n. 3230 ad 4 die 2. Sept. 1690.

Non licet Gubernatori civitatis Anagninae in assistentia Episcopo praestanda in missis aut vesperis galero cooperire caput, quoties Episcopus mitram assumit. n. 3453 die 25. Jan. 1698.

S. CAROLUS BORROMAEUS.

De ejus Translat. vd. *Dedicat. Eccles.* (Transl. decr. sub n. 3354).

Eestum s. Caroli in Provincia Mediolan. celebrari potest ritu dupl. S. R. C. 20. Nov. 1610.

CASSINENSES ABBATES.

Vd. *Usus Pontificalium* (praecipue decr. n. 5058); *Coelestini.*

Congregationis Cassinensium.

Procurator generalis Congregationis Cassinensium SSmo. humiliter supplicavit, dignaretur praecipere C. S. R., ut, quae Abbatibus Cassinensibus particulari Sedis Apostolicae indulto ex vetitis, et praeter expressa in Decreto novissime super usu Pontificalium edito, adhibere liceat, praevia discussione declararet. Sanctissimus autem Oratoris preces ad eandem Congreg. transmisit, rescripsitque per Emum. D. Cardinalem Franciottum notulam dubicrum supplici libello subnexam in ipsa Congregatione referri, quae

Ad §. 4. „*Decreti*, quo prohibetur usus praeterquam unius Abaci, asserentibus Monachis hactenus ab immemorabili tempore eorum Abbates adhibere consuevisse secundum Abacum ad pelvim, et urceolos exponendos, censuit: Servandum esse Decretum.“

Ad §. 5. „*quo tribus tantum diebus de praecepto etc.* Pontificalis celebratio permittitur, exponentibus Mo-

nachis, taxativam hujusmodi non extendi ad usum Pontificalium sine Baldachino, ac propterea ex Indulto Alexandri II. sibi competere Pontificalium usum, tum in exequiis nobilium viro- rum: S. R. C. censuit: Hujusmodi privilegium tantummodo suffragari Monasterio Cavensi, nec ad alia Monasteria extendi.“

Ad §. 6., „quo in accessu Abbatis Divina peracturi, et recessu ejusdem post Divina absoluta, prohibetur associatio more Episcoporum, affirmantibus Monachis se ab immemorabili tempore simili associatione usos esse, atque indecorum videri, ut Abbas pontificaliter peracturus Divina solus Ecclesiam petat; S. C. censuit: Annuendum esse petitis, modo non extra, sed intra septa Monasterii sese ad Ecclesiam conferat.

Ad §. 7., „quo taxatur numerus ministrorum, exponentibus Monachis, Abbates indigere ministris ad librum, et candelam, ad intortitia elevationis, et ad candelabra Evangelii, ad Mitram et Baculum S. C. censuit: Indulgentos fore alias quatuor ministros cotta indutos praeter expressos in Decreto.“

Ad §. 8., „quo usus Mitrae pretiosae, et Baculi sine velo appenso vetitus est, asserentibus Monachis, Mitram pretiosam ipsis de jure competere, velum quoque nunquam eos consuevisse baculo appensum adhibere, nec esse de ritibus Romanae Ecclesiae, sed Ambrosianae tantum. S. C. censuit: Quoad Mitram servandam esse dispositionem cap.: *Ut Apostolicae* de Privileg. in 6; quoad Baculum vero servandum esse Decretum.“

Ad §. 10., „quo prohibetur usus Pontificalium in aliena Ecclesia, licet exempla, quamvis Abbas ad ipsam fuerit invitatus; exponentibus Monachis, eos inibi Pontificalibus Insigniis hactenus usos esse, idque a jure ipsis per-

missum praesumere S. C. censuit: Servandum esse Decretum.“

Ad §. 11., „quo Sacras vestes ex Altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus Monachis, se hactenus tali privilegio gavisos esse. S. C. censuit: Servandum esse Decretum.“

Ad §. 13., „quo disponitur, ne Abbates extra Pontificalia pontificali more, ac trina Crucis productione, necnon privatim occurrenti Populo, tum pontificaliter induti, etiam per Ecclesiam incedentes benedicant; asserentibus Monachis, Abbates in Missis privatis hactenus Episcopali more benedixisse, et Pontificalibus praesertim indutos per Ecclesiam transeuntes occurrenti Populo benedictionem elargiri consuevisse. S. C. censuit: Servandum esse Decretum.“

Ad §. 14., „quo in praesentia Episcopi Abbatibus denegatur facultas benedicendi solemniter etiam in Pontificalibus, asserentibus Monachis, ex privilegio ipsis, etiam praesente Episcopo, benedictionem hujusmodi competere. S. C. censuit: Servandum esse Decretum.“

Ad §. 15., „quo traditur ordo inferioribus Praelatis Divina pontificaliter peragendi, praesente Episcopo loci Ordinario, exponentibus Monachis, Episcopo vetitum reperiri ingressum in eorum Ecclesias, ipsis invitatis. S. C. censuit: Servandum esse Decretum.“

Ad §. 17., „quo usus Mitrae, et reliquorum Insignium Pontificalium, praeterquam tribus anni diebus, abrogatus est, suggerentibus Monachis, indecorum videri, ut in Ordinibus conferendis, in consecrationibus, et in receptionibus, et professione Monachorum, et Monialium, Abbates Mitram non adhibeant. S. R. C. censuit: Indulgentum fore, ut ea tantum utantur in actu Ordinationum et Benedictionum cum Sac. Oleo.“

Ad §. 19., „quo vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum, asserentibus Monachis, pro aliena Ecclesia ex Apostolico indulto eis licitum esse Ecclesiasticam suppellectilem benedicere. S. C. mandavit: exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, et interim abstinere.*)

Ad §. 21., „quo in Missis privatis prohibetur Abbatibus quivis ritus, et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus Monachis, Abbates Cassinenses hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum, ac duos assistentes cum cotta etc. S. C. censuit: Servandum esse Decretum.**)

Præsentisque Declarationis Decretum typis inprimi posse concessit. Die 12. Junii 1660. Praedictis autem SSmo. relatis, Sanctitas Sua ea approbavit, et Decretum editum die 27. Septembris 1659 omnino exequi, et servari mandavit. Verum quoad §. 5, 6, 7, 8 et 17 ad limites tantum praesentis declarationis, et non alias; salva quavis contraria, verbaliter tamen expressa dispositione privilegiorum particularibus Monasteriis Congregationis Cassinensium concessorum.“ n. 2056 die 20. Jul. 1660.

CASTRUM DOLORIS.

Vd. *Tumulus*.

CASULA.

Vd. *Planeta*.

S. CATALDUS.

Cum, prout assertum fuit, in Officio S. Cataldi Archiepiscopi, et Patroni Civitatis Tarentinae, adsit rubrica praecipiens, ut cujuscumque mensis die

*) Vd. *Abbas et Dignitat.* (decr. 4155 ad finem).

**) Vd. *Missae privatae Abbatis*.

prima non impedita recitetur Officium dicti Sancti sub ritu simplici, et mense Martio celebretur ejus Festivitas cum Officio duplici, ac mense Maji Inventio ejusdem Sancti cum Officio duplici, et Octava: A Capitulo et Clero Cathedralis praefatae Civitatis humiliter supplicatum fuit declarari: An mensibus Martii et Maji praedictis dicta rubrica servanda sit, non obstante quod recitatum fuerit, vel recitandum erit praedictum Officium duplex?

Et S. R. C. respondit: „Negative.“ n. 3446. die 5. Oct. 1697.

CATALOGUS MISSARUM.

Vd. *Missae* (descriptio).

CATHEDRA.

1) Concionatoris (velum).

Vd. *Pulpitum; Ambo*.

Cum apud Sodales Congregationis titulo Christi Domini Spinis coronati, B. M. V. nostrae spei civitatis Hispanen. dubitatio occurreret circa colorem veli, quo contegenda sit Cathedra, ex qua, occasione piarum exercitationum, quae ab eadem sodalitate agi assolent in Ecclesia, verbum Dei annuntiatur, num scilicet adhibendus sit color violaceus, ut praeteritis temporibus usu veniebat; vel color albus, ut sex abhinc annis, postquam scilicet eadem piee exercitationes coram SSmo. Eucharistiae Sacramento peragi coeptum fuerat? ad quam dubitationem tollendam recursus habitus sit ad S. R. C.

S. eadem C., ac a prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris scripto exarata, et etiam typis impressa, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Malthei Ponentis, rescripsit prout infra, videlicet: „Utendum colore albo quoad exedron in SSmi. Sacramenti expositione.“ Et ita declaravit, et decrevit die 9. Apr. 1808. n. 4510.

2) Episcopi.

Vd. *Sedes Episcopi; Baldachinum.*

3) S. Petri ap. Antiochia.

COLLEN.

Quum Rmus. Collen. Ep. S. R. C. exposuerit, quod in sua Cath. Officium S. Mart. Faustini, et Jovitae recitetur sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct., insimul addidit quod Officium Cathedralis S. Petri Antiochenae incidens ipsa die oct., assignatum fuit tanquam in sedem propriam die 25. Februarii. Interdum vero superveniente Quadrag., ac cessante Octava, quum dies 22. Februar. libera remaneat, non una est Cleri Collensis opinio circa assignationem hujus Officii Cathedralis Antiochensis; siquidem asserentibus aliis, quod de Cathedra Antiochensi fieri debeat cum universali Eccl. die 22., alii verius et rectius opinentur nec tunc removendum a designata die 25. Febr. Ad tollendum quocirca quamcunque dubitationem, et ambiguitatem idem Rmus. Collen. Antistes ipsius S. C. oraculum requisivit. Quae ad Quirinale in hodiernis Ordinariis Comitibus coadunata, ad relationem Secretarii, post diligens expositae controversiae examen rescribendum censuit: „In casu exposito dies 25. Febr. habenda est tanquam fixa Officio Cathedralis S. Petri Antiochenae, non obstante citata occurrentia.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5124. die 22. Julii 1848.

CATHEDRALIS (Quae est?).

Vd. *Sedes Episcopi in Ecclesia extran.* (decr. n. 4720 nota).

CAUDA.

1) Dignitarii.

Non licuisse neque licere Canonico Praeposito Cathedralis Ravennae usum

vestis talaris cum cauda ad instar Praelatorum romanae Curiae. n. 2642 die 17. Junii 1673; n. 2666 die 2. Dec. 1673 cum appendice: „neque licere etiam Archidiacono Ravennae.“

Juxta vero decret. n. 1673 die 13. Jan. 1674 manu tenendum esse praefatum *Archidiaconum* (Ravennae) in possessione deferendi caudam, non obstante decreto de die 2. Decemb. 1673.

Posse restitui, prout resituit, Praeposito Ravennae usum vestis caudatae, non obstante prohibitione S. C. . . . n. 2726 die 30. Mart. 1675.

Vd. *Canonici Cath.* (Insignia et habit. extra Ecclesiam et Dioeces. decr. n. 4902).

2) Episcopi.

a) Quo modo deferenda?

Ad dubium: an, dum Episcopus in missa pontificali, signanter dum recitat psalmum: *Judica me Deus etc.* et in aliis functionibus stat vel permanet genuflexus, ipsius Caudatarius debeat dimittere caudam cappae aut vestis Episcopalis, ut Assistent caeterique Canonici transire valeant ante ipsum caudatarium? S. C. resp.: Affirmative. n. 4235 ad 15 die 15. Sept. 1753.

b) Sublevatio Laicorum.

Magistratus Episcopo pontificaliter agenti non debet caudam seu vestis extremitatem sublevare. n. 4015 ad 3 die 9. Maii 1733.

3) Episcopi Suffraganei.

Suffraganeus occasione functionum sol. Episcopatum tenetur caudam cappae involutam sub brachio sinistro deferre. n. 3490 ad 3 die 6. Septbr. 1698.

Episcopus Suffragan. non potest sibi deferri facere caudam *vestis violaceae* una cum elevatione fimbriae anterioris

in plano pavimento Ecclesiae. n. 3490 ad 4 die 6. Sept. 1698.

4) Gubernatoris.

Non licet Rectori seu Gubernatori laico civitatis Carpenctoralen. gestare caudam. n. 3539 die 21. Novemb. 1699.

CAUDATARIUS.

1) In choro.

Caudatarius Episcopi non debet lectiones et prophetias canere in choro, quando ibidem absque Almutio et cum solo pallio nigro persistit. n. 3551 ad 23. die 13. Mart. 1700.

2) Episcopi Administr.

Ad dubium: An Ep. Adm. Caudatarii opera uti possit saltem dum in s. Functionibus peragendis solutam habere debet longiorem talaris vestis fimbriam?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Affirmative in casu.“ Atque ita rescribendum rata est, ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 10 die 23. Sept. 1848.

3) Regalia.

Nihil de Capellis Cardinalium deberi Caudatariis seu Capellanis ipsorum. n. 870 die 20. Julii 1630.

4) Vestis.

Pro honore Collegii Caudatariorum (Cardinalium) SS. D. N. audita Congregationis sententia vestes subtanas violacei coloris Caudatariis concessit. n. 390 die 2. Aug. 1608. vd. *Cotta.*

Caudatarius Episcopi potest eidem inservire in choro in habitu Caudatarii. n. 3551 ad 17 die 13. Mart. 1700.

CELEBRANS.

1) In Ecclesia aliena.

Vd. *Missa (in Ecclesia aliena); Missa* (oblig. celebrandi).

2) Coram Episcopo.

Vd. *Reverentia erga Episcop.*; *Missa priv. et sol. cor. Episcopo;* *Episcopus assist. missae solenn.*

3) Absente vel imped. Episcopo.

Vd. *Dignitas.*

4) Fer IV. Cinerum.

Vd. *Cineres* (Benedicens etc.).

5) In Festo Purific. B. V. M.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

6) Incensatio.

Vd. *Incensatio Cleri* (ductus); *Episcopus assist. missae sol.* (incensatio).

7) In Oratoriis.

Vd. *Oratorium;* *Parochus.*

8) In Parochia.

Vd. *Parochus.*

9) In Sabbatho s.

Vd. *Sabbat. sanct.* (celebrans).

CELEBRATIO MISSAE.

1) In altari vel Ecclesia certa.

Vd. *Missa* (in altari etc.); *Missa* (oblig. celebr.); *Missa* (descriptio).

2) Licentia.

Vd. *Missa* (licentia celebr.).

CERA.

(In Exequiis.)

Heres Defuncti pro funere ad suum libitum accipere potest quantitatem cerae. S. C. Ep. 5. Maii 1617.

Vd. *Candela in funerib.;* *Quarta funeralis.*

Licet haeredibus cadavera defunctorum ad tumulum associari facere in tortitiis et candelis extinctis offerendis Confraternitatibus pro associatione SS. Sacramenti aut pauperum ad se-

pulturam, dummodo eorundem cereorum saltem duplum accensum deferatur; unde si ex extinctis deferuntur duo, ex accensis saltem debent esse quatuor. S. C. Ep. 14. Oct. 1598.

CEREUS.

1) Canonico. Cathedr. et Colleg.

In processionibus Dignitates et Canonici Collegiatae usdem uti valent cereis, quibus utuntur Dignitates et Canonici Cathedr. in casu. n. 4439 ad 11 sine dato (videtur esse 28. Julii 1789). cf. *Candela*.

2) Paschalis.

a) Accenditur.

Cereus Pasch. regulariter accenditur ad Missas et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbatho in Albis et in diebus dominicis usque ad festum Ascensionis D. N. J. Chr., quo die, cantato Evangelio, extinguitur ad Matulinum; et in aliis diebus et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accenditur, quae servanda esset, n. 351 ad 13 die 19. Maii 1607.

b) Benedictio (Modus. Quinque grana).

Cf. *Diaconus* (cant. Exultet); *Cereus pasch.* (nomen Episcopi).

Ad dubium: Utrum ferendus sit usus in Sabbatho Sancto infigendi quinque grana Incensi non quidem in Cereis Paschali, sed cereae cuidam albae Cruci ab eo separatae, atque hujus muneris obeundi per Chori Capellanium sive Sacerdotem, sive Diaconum a Diacono Praeconii seu Missae diversum? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4672 ad 9 die 12. Nov. 1831.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.
Improbanda sane in usu, de quo

est sermo, Rubricae infractio reperitur, et novitas in Ritibus pro hoc Officio praescriptis proprio lubitu inducta, quae nullo prorsus modo erat ferenda: atque ex hoc ipso nihil, ut quisque videt, advertendum occurrit, nec ratio nulla est adducenda ad usum praedictum eliminandum. Res enim ipsa per se apparet manifestissime, ac propterea non nisi simplici negativa responsione poterat a S. C. dubio huic satisfieri. Quin igitur infractionem Rubricarum ac novitatem demonstrando immoremur, aliquid quoad Cereum advertamus. Ecclesia hoc die ad resurgentem Christum recipiendum se praeparat, et mox ipsum resurrecturum Fidelibus pariter annuntiat, et consecratione itaque Luminis Paschalis solemnitate annuntiationem inchoat, quae verae lucis claritatem humano generi contulit. Quod ad Cereum spectat, Paschalis hic Cereus benedicitur in Sabbatho Sancto, quia ex simplici sua natura absque benedictione non potest mysteria significare, quae per illum Ecclesia repraesentare intendit. Est haec benedictio non de constitutivis per quae immutato naturali rei alicujus statu sacrum quid efficitur, sed de simpliciter invocativis, quibus Dei benignitas invocatur, ut personis vel rebus aliquid boni tribuat: et licet per has benedictiones res nec statum suum naturalem non immutent, nec sacrum quid efficiantur, aliquid tamen religiosum in se continent, nec amplius prophanae possunt haberi. Constans autem ac perpetua fuit Ecclesiae disciplina, ut nulla re ad religiosum quemdam ritum publice uteretur, quin prius eam benedixerit, ut ex Thoma Massimio, Benedict. XIV. aliisque Auctoribus constat. Juxta Liturgicos Cereus hic columnam nubis et ignis, quae Hebraeos in deserto ambulantes praecedebat, significat, et hinc illa Praeconii verba, *sed jam columnae hujus prae-*

conia novimus, et vel Christum significat corporaliter prius extinctum, et postea resurgentem, sicut tunc Diaconus Cereum benedicens significat Evangelii praedicatorum, qui Christum, passione corporaliter extinctum, debet Laudum benedictionibus praedicando Resurrectionis Luminosa gratia reddere illustratum. Item Cereus Paschalis ex Ecclesiasticis Scriptoribus, quos refert Theophilus Raynaldus, institutus primo fuit ut symbolicè esset imago Baptismi, ac propterea singulis qui baptizabantur parvus dabatur Cereus, et ideo dabatur ut illum asservarent, et suscepti Baptismatis memoriam identidem in se suscitarent.

Instituti deinde fuerunt Cerei *Agnus Dei*, ob Agni figuram, quae in illis inspicitur, nuncupati, ut essent pariter suscepti baptismi symbolum, et singulis recenter baptizatis, depositis in Sabbatho post Pascha vestibibus albis, dabatur Cereus hic *Agnus Dei*, quia commodius hunc prae parvo etiam cereo gestare poterant. Hi autem *cerei Agnus Dei* illorum collo appendebantur, ne suscepti baptismatis memoriam una cum albis vestibibus baptismatibus, quas deponebant, amitterent, sed hos prae oculis semper habentes et tantum beneficium per baptismales aquas receptum recolerent, et gratias Deo redderent, et receptam gratiam fideliter custodirent.

Olim dispertiebantur populo particulae Cerei Paschalis ad suffumigandum una cum thure pio ac religioso animo ad advertenda mala, bonaque postulanda. Est ea secundaria Cerei Paschalis institutionis causa. Quemadmodum vero substituti fuerunt *cerei Agnus Dei* ad excitandam retinendamque baptismi memoriam in recenter baptizatis, et pro Cereis Paschali sive hujus particulae parvi Cerei ipsis dabantur, ita et *cerei Agnus Dei* postmodum pro Cerei magni particula et pro parvis cereis

populo distribui coeperunt, et praecipuo fini, qui fuit in illorum institutione, ut Deus illis utentibus mala averteret, ut bona conferret, secundarius successit, ut reliquis etiam fidelibus, praeter recenter baptizatos distribuerentur in octava Paschae, quemadmodum Cerei Paschalis particulae distribuebantur, ut liquet ex Ordin. Romano tit: *De benedictione Cerei*, ubi sic legitur: *In Octava vero Paschae dantur ipsi Agni (Cerei infra Civitatem Romanam) ab ipso Archidiacono in ipsa Ecclesia post Missam et Communionem, et ex eis faciunt incensum accendi ad suffumigandum in domibus suis pro quacumque tribulatione eis evenerit necessitas. Similiter et in forensibus civitatibus de Cereo Paschali faciunt.* Multa addi possent de cereis *Agnus Dei*, si res de qua hic praecipue agitur, postularet, sed haec sint obiter adnotata licet non inopportune, res enim ipsa haec pauca innuere deposcebat. Ne itaque finem nobis propositum praetergrediamur ad Paschalem Cereum redeamus. Cereus itaque nubis, ignisque columnam significat, qui Hebraeos in deserto itinerantes per diem noctemque praecedebat, et Christum a morte ad vitam gloriose resurgentem, ut Rupertus et cum eo Auctores Liturgici pene omnes, et ideo Cereus ipse prius extinctus apparet, et dum adhuc extinctus est, in eo quinque incensi grana infiguntur, quae quinque Christi plagas repraesentant; deinde accenditur post verba Praeconii: *Rutilans ignis accendit.* Item Cereus in significatione columnae ignis et nubis Hebraeos praecedentis illorum demonstrat defensionem a solis aestu, et illuminationem nocturno tempore: in significatione vero Christi nubis columna potest repraesentare Christum fideles a vitiorum aestu defendentem. Ignis vero Christum ipsum, qui fideles in hujus